

tatis, pertinent ad pulchritudinem; unde eodem modo dicendum est sicut ad primum. Vel dicendum, quod virgines habent eum virginitate alias virtutes: alii autem non habent virginitatem cum aliis virtutibus; et ideo non est eadem ratio comparandi virginitatem cum aliis virtutibus, et virgines aliis omnibus.

Ad tertium dicendum, quod aureola est praemium accidentale, et fructus similiter. Praemium autem essentialis est dignitas accidentalis; ideo simpliciter loquendo, illae virtutes sunt potiores quibus majus praemium essentialis debetur: praemium autem accidentale non tam respicit virtutis radicem quam statum virtutis. Et praeterea aureola non solum virginibus debetur, sed et martyribus et doctoribus; fructus autem soli continentiae debetur, in qua summum locum tenet virginitas; et quia per continentiam reprimuntur illae delectationes quae maxime fructus spiritualis dulcedinis impediunt, quem fructus suo nomine importat.

Ad quartum dicendum, quod incorruptio facit esse proximum Deo, in quem corruptio non cadit, per quamdam similitudinem imitationis: et quia Deo magis possumus esse similes mente quam carne; ideo incorruptio mentis, quae omni peccato opponitur, et per omnem virtutem est, facit Deo esse proximum. Sed virginitas habet utramque incorruptionem; et ideo quantum ad plura facit Deo similem, scilicet in corpore et anima, ratione cuius dicitur quod sequitur agnum quocumque ierit; et Ambrosius dicit quod nihil ei deest. Nec tamen sequitur quod magis facit virginitas Deo proximum quam omnes virtutes, sed secundum plura.

Ad quantum dicendum, quod in littera matrimonium Abraham aequiparatur caelibatui Joannis quantum ad meritum personarum: quia tantum meretur Abraham in conjugio sicut Joannes in virginitate; quia ex aequali promptitudine serviebat Deo secundum statum sui temporis; et haec comparatio est per accidentalitatem virtutum.

Ad sextum dicendum, quod humilitas videtur virtutibus propinquissima esse, quia per eam homo se ex reverentia Deo subiecit, et per consequens alii propter Deum; et ideo, simpliciter loquendo, virginitatem humilitas excedit.

#### Expositio textus.

*Maledicta erat sterilis, quae non relinquebat semen super terram.* Haec maledictio non est culpae, sed poenae; non tamen quantum ad defectum naturae quem habet virginitas in prole defectu; sed quantum ad infamiam, quia opprobrio habebatur.

*Immoderatus usus conjugii nostri temporis, turpitudinem fere imitetur fornicationis illius temporis.* Hoc dicitur quantum ad intentionem eorum qui

nunc ut plurimum contrahunt matrimonium propter infirmitatem libidinis, quia ratione antiquitus fornicabantur; et ideo addit *fere*, quia fornicatio omnino erat peccatum mortale; non autem omnis immoderatus usus conjugum.

*Facilius continere possent, quam nos scilicet possumus, propter magnitudinem virtutis quae in eis erat; vel quam ipsi possent matrimonio conjungi, considerata vi honestatis, quae justos trahit; ut difficile sit eis peccare, vel in aliquo a perfecto statu virtutis declinare.*

*Publici muneris gratia privatim culpam praetexit.* Sciendum, quod quamvis Loth credatur immunis a peccato mortali fuisse; filiae tamen ejus non omnino excusantur a peccato mortali, sed ex pietate intentionis minus peccaverunt. Fuit enim levis aestimatio super quam se fundaverunt. Et praeterea si eis pro certo constitisset totum genus humanum periisse, debuissent divinum consilium et patris expetere in tam horribili facto, quod erat contra primam institutionem matrimonii, ubi pater et mater prohibentur Genes. 2: *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam.*

*Quae tamen modificata, et refrenante temperantia in usum naturalem redacta, libido esse non potest.* Haec modificatio non attenditur quantum ad delectationis quantitatem in actu, sed quantum ad debitam limitationem circumstantiarum.

*Continentiam Joannes in opere . . . habebat.* Continentia accipitur hic cessatio a carnali opere omnino.

*Eae enim nunc uxores appellant Scriptura, nunc concubinas.* Quidam dicunt, quod non erant vere uxores; sed quia uxorio affectu et intentione prole ei conjungebantur, quandoque uxores dicitur. Alii dicunt, quod vere uxores erant; sed dicitur concubinae, quia ancillae manebant, et filii non earum, sed dominarum suarum nomine nascebantur; et hoc verius videtur.

*Plures habere, non plurimas.* Plurimae dicuntur quibus non potest opere carnali ad praegnandum satisfieri sine mentis enervatione: frequentia enim talis actus omnino mentem enervat.

*Non potest caro corrumpi nisi mens ante fuerit corrupta.* Hoc intelligitur de corruptione ad genus moris pertinente, quam virginitas excludit.

*Satius (1) est mori fame quam idololatriam vesci.* Contra. 1 Timoth. 4, 4: *Nihil rejiciendum quod eum gratiarum actione percipitur.* — Et dicendum quod debet intelligi antequam comederetur in venerationem idoli, vel eum quadam exteriori professione idolatriae, sicut si a persecutore in signum fidei christianae fractae exigeretur.

(4) Al. sanctius est.

## DISTINCTIO XXXIV.

#### De personis legitimis.

Nunc superest attendere quae personae sint legitima ad contrahendum matrimonium. Legitimae judicantur personae secundum statuta patrum, quae diversa sunt. Aliae namque fuerunt legitima ante legem, aliae sub lege, aliae in tempore gratiae. Item in primitiva Ecclesia quaedam erant legitima quae modo non sunt Earum vero quae modo legiti-

mae vel illegitimae, quaedam sunt plene legitima, quaedam omnino illegitimae, quaedam mediae. Plene legitima sunt quibus non obviat votum continentiae vel ordo sacer, vel cognatio, vel dispar cultus, vel conditio, vel naturae frigiditas, et si quid est aliud. Penitus vero illegitimae sunt per votum, per ordinem, per cognationem, per disparem cultum. Mediae vero sunt nec plene legitima, nec omnino illegitimae per frigiditatem, vel per conditionem. Si enim tales jungantur igno-

ranter, commanere possunt quibusdam accedentibus causis, et eisdem deficientibus dividi.

#### De frigidis separandis.

De his enim qui causa frigiditatis debitum reddere non possunt, consulti Gregorius (1) ut permaneat. Sed si mulier caustatur dicens: Volo esse mater, et filios procreare: decrevit ut uterque eorum (2) septima manu propinquorum juret quod nunquam carnaliter convenerunt; et tunc mulier secundis nuptias contrahat; vir autem qui frigidae naturae est, absque spe conjugii permaneat. At enim sic: « Interrogasti de his qui matrimonio juncti sunt, et nubere non possunt, si ille aliam, vel illa alium ducere possit. De quibus scriptum est: Vir et mulier si se conjunxerint, et post dixerit mulier de viro, quod coire non possit cum eo; si potest probari quod dicit per justum iudicium, alium accipiat. Si vero ille accipit aliam, separantur. » Item: « De his requisisti qui ob causam frigiditatis naturae dicunt se non posse invicem operam carni dantes commiseri. Iste vero si non potest ea tui pro uxore, habeat eam quasi sororem. » Quod si retinendum conjugale voluerit rescindere, maneat utriusque que inuipit: nam si huic non potuit naturaliter concordare, quomodo alteri conveniet? Igitur si vir aliam uxorem vult accipere, manifesta patet ratio, quia suggerente diabolo odii fomitem, exosam eam haberit, et ideo eam dimittere mendacii falsitate molitur. Quod si mulier caustatur, et dicit: Volo esse mater, et filios procreare: uterque eorum septima manu propinquorum tactis sacrosanctis reliquiis iurejurando dicit, quod nunquam (5) per commixtionem carnis conjuncti una caro effecti fuissent. Tunc videtur mulierem secundas posse contrahere nuptias: humanum dico propter infirmitatem carnis. Vir autem qui frigidae naturae est, maneat sine conjugio. Quod si ille aliam conjugem accipit, tunc hi qui juraverunt, perjuri erunt: mine rei tenentur, et poenitentia peccata, priora cogantur recipere connubia. » Hoc servandum, cum uterque idem fatetur. Sed vir si asserit se debitum reddidisse uxori, et illa diffidet; cui potius fides habenda sit, merito quaeritur. De hoc ita statutum est (4): « Si quis (5) accipere rit uxorem, et haberit eam aliquo tempore, et ipsa femina dicit, quod nunquam coisset eum ea, et ille vir dicit, quod sic fecit; in veritate viri consistat, quia vir est caput mulieris. » Hoc de naturali impossibilitate statutum est.

#### De his qui impediti maleficiis coire non possunt.

De maleficiis autem impedimento hoc tenendum decernitur (6) quod si per sortitias et maleficas concubitus non sequitur, hortandi sunt quibus illa eveniunt, ut spiritu contrito et humiliato, Deo et sacerdoti de omnibus peccatis confessio-

(1) Eius nomine in Decretis refertur causa 55, quaest. 1, cap. *Requisisti*. Sed non aliter quam ex illius epistola sine indice speciali notatur. Nec videtur ex Gregorio Magno sumptum, apud quem non occurrit, ut nec aliud ibi praemissum caput ex epistola Joanni Ravennati scripta praenotatum. An Gregorius junioris est, ex quo Panoritanus refert? Velut ex Gregorio quoque indefinitae citat Caeselinus III, cap. *Laudabilem* extra. de frigid. et malef. ubi quae de septima manu propinquorum sequuntur, videre est, illest septem propinquis praesentibus, et simul jurantibus, ut infra (*Ex edit. P. Nicolai*).

(2) Nicolai: cum septima.

(3) Al. ut nunquam.

(4) In Concilio apud Compendium habito, ex quo refertur in Decretis ut supra, causa 55, qu. 4, cap. *Si quis* (*Ex edit. P. Nicolai*).

(5) Al. additur ita.

(6) Ut videre est in Decretis ibid. cap. *Si per Sortitios*, quod ex Hinemaro praenotatur; sed nullus additur index, ut nec expresse apud illum occurrit, etsi ex ejus opus. de divortio Lotharii et Thierbergae Reginae tom. 15 Biblioth. PP. sparsim colligi potest (*Ex edit. P. Nicolai*).

nem faciant, et lacrymis atque elemosinis, orationibus et jejuniis Domino satisfaciant; et per exorcismos ac cetera ecclesiasticae disciplinae munimina ministris Ecclesiae tales sanare procurent. Quod si non poterint, separari valebunt. Sed postquam alias nuptias expetierint, illi viventibus quibus post junctae fuerint, priores quos reliquerant, etiam si possibilibus, concumbendi eis reddita fuerint, reconciliari nequebunt. Quod in fine hujus capituli continetur, ex rigore magis dictum intelligendum est quam ex canonica sequitate. Vel intelligendum est non posse reconciliari priores nisi iudicio Ecclesiae, quo divisio facta fuerat.

#### De furiosis addit.

Furiosi quoque, dum in amentia sunt, matrimonium contrahere non valent. Unde Fabianus (1): « Neque furiosus neque furiosa matrimonium contrahere possunt; sed si contractum fuerit, non separantur. » Item Nicolaus Papa: « Hi qui matrimonium sani contraxerunt, et uni ex duobus, vel ambobus, vel amentia vel furor vel aliqua infirmitas accesserit, ob hanc infirmitatem talium conjugia solvi non possunt. » Similiter est etiam sciendum de his qui ab adversariis excecantur, vel membris truncantur, vel a barbaris esseturi fuerint.

#### De his qui cum duabus sororibus dormiunt.

De his etiam qui cum duabus sororibus, vel eum duobus fratribus dormiunt, videndum est quid censeant canonici (2). « Qui dormierit cum duabus sororibus, et una ex illis ante fuerit uxor, neutram ex ipsis habeat, nec ipsi adulteri nunquam in conjugio copulentur. » Item: « Nec proprie uxori licet sibi reddere debitum, quam sibi reddidit illi: si autem, sororem ejus cognoscendo; ne post mortem uxoris licet ei vel adulterio copulari in conjugium. » Item Zacharias Papa (3): « Concubisti cum sorore uxoris tuae. Si fecisti, neutram habeas; et uxor tua si non fuerit concisa sceleris, et continere non vult, nubat in Domino cui vult. Tu vero et adultera sine spe conjugii maneat; et dum vivitis, poenitentiam agite. Quod ait: Cui vult nubat, intelligendum est post mortem viri. » Unde Gregorius: « Qui uxores suas in adulterio depræhendunt, nec ille nec illa nec aliam uxorem accipiat vel alium virum, quamdiu ambo vivunt. Si vero adultera mortua fuerit, vir ejus, si vult, nubat; adultera vero nunquam, etsi mortuus fuerit vir ejus, sed omnibus diebus poenitentiae lamenta persolvat. » Hic de illo adulterio agitur quod cum cognato viri vel eum cognata uxoris committitur.

*Non est dimittenda uxor pro aliqua marula seu deformitate corporis.*

Illud etiam sciendum est quod pro aliqua infirmitate vel macula corporali, non licet viro uxorem dimittere, et e converso; sed debet alter alteri subsidia providere. Unde Augustinus (de serm. Domini in monte, lib. 1, cap. 52, vel 18): « Si uxorem quis habeat sterilem, sive deformem corpore, vel debilem membris, vel caecam, vel claudam, vel surdam, vel si quid aliud, sive morbis vel laboribus dolibusque confectam, et quidquid excepta fornicatione excogitari potest vehementer horribile; pro societate fideique sustineat. »

(1) Causa 55, in Decretis quaest. 7, cap. *Neque*, ut et ibid. cap. *Hi qui habentur* quod mox refertur ex Nicolao, ad Carolum Moguntinensem rescribente (*Ex edit. P. Nicolai*).

(2) Ex Concilio Aurelianensi praenotatur causa 27, quaest. 2, cap. *Qui dormierit*; sed in illo non reperitur appendix notat. Sensus illius porro in Concilio Moguntino cap. 36, et in Concilio 2 sub Rabano cap. 29, inveniri causa 52, quaest. 7, cap. *Item dormierit* annotatur (*Ex edit. P. Nicolai*).

(3) Quod subiungitur ex Zacharia Papa et Gregorio (sed non Gregorio Magno) eadem causa 52, quaest. 7, respective habetur cap. *Concubisti* quo ad Zachariam Papam, et cap. *Hi vero* quo ad Gregorium (*Ex edit. P. Nicolai*).



## Divisio textus.

Postquam determinavit Magister de matrimonio et causis ejus, hic determinat de personis contrahentibus matrimonio; et dividitur in partes duas: in prima determinat de impedimentis matrimonii, quae non faciunt personas penitus illegitimas ad contrahendum; in secunda de illis quibus personae penitus ad matrimonium illegitimae redduntur, dist. 57, ibi: *Sunt ergo quidam ordines in quibus mulatenu potest contrahi conjugium*. Prima in duas: in prima determinat de impedimento quodam matrimonii, quod facit personam non simpliciter, sed aliquo modo, illegitimam, quod consistit in defectu naturae, scilicet frigidityte; secundo de impedimento conditionis secundum mores et statuta hominum, scilicet servitutis, 56 dist., ibi: *Nunc de conditione videamus an valeat conjugium dividere*. Prima in duas: in prima determinat de impedimento frigiditytis, quod matrimonium contrahendum impedit; in secunda de impedimento per quod actus matrimonii jam contracti impeditur, scilicet de fornicatione, prout est causa divortii, 55 dist., ibi: *Hoc etiam notandum est etc.* Prima in duas: in prima prosequitur de impedimentis personarum ad contrahendum matrimonium in generali; in secunda descendit in speciali ad impedimentum de quo primo agere intendit, ibi: *De his enim qui causa frigiditytis debitum reddere non possunt, consulti Gregorius ut permanent*. Et haec dividitur in duas: in prima ostendit quod frigiditytas praecedens matrimonium impedit ne contrahatur; in secunda ostendit quod superveniens matrimonio ipsum dissolvere non possit, ibi: *Illud etiam sciendum est etc.* Prima in duas: in prima determinat de effectu naturae impediens matrimonium, per quem homo impotens redditur ad carnalem copulam; in secunda determinat de effectu peccati, per quem homo ineptus redditur ad idem, quod etiam matrimonium impedit, scilicet incestus, ibi: *De his etiam qui cum duabus sororibus, vel quae cum duobus fratribus dormiunt, videndum est*. Prima in duas: in prima determinat de impedimento quo natura impotens redditur ad opus carnale; in secunda de impedimento quo impotens redditur ad consentiendum in copulam conjugalem, ibi: *Furiosi quoque dum in amentia sunt, matrimonium contrahere non valent*. Prima in duas: in prima determinat de impotentia coeundi ex causa naturali (1), scilicet frigidityte; in secunda de impotentia quae ex maleficio, ibi: *De maleficii autem impedimento hoc tenendum decernitur*.

## QUAESTIO I.

Hic quaeruntur quinque: 1.º de impedimentis matrimonii in generali; 2.º utrum frigiditytas impediatur matrimonio; 3.º utrum maleficio; 4.º utrum furia, vel amentia; 5.º utrum incestus.

## ARTICULUS PRIMUS.

*Utrum matrimonio convenienter impedimenta assignentur.*

Ad primum sic proceditur. 1. Videtur quod matrimonio inconvenienter impedimenta assignen-

(1) Al. ex causa simili naturali.

tur. Matrimonium enim quoddam sacramentum est contra alia divisum. Sed aliis non assignantur impedimenta. Ergo nec matrimonio assignari debent.

2. Praeterea, quanto aliquid est minus perfectum, tanto paucioribus modis impediri potest. Sed matrimonium inter alia sacramenta est minus perfectum. Ergo vel nulla vel paucissima impedimenta ei assignari debent.

3. Praeterea, ubicumque est morbus, ibi est necessarium remedium morbi. Sed concupiscentia, in cuius remedium matrimonium est indultum, est in omnibus. Ergo non debet esse aliquod impedimentum quod aliquam personam penitus illegitimam faciat ad contrahendum.

4. Praeterea, illegitimum dicitur quod est contra legem. Sed hujusmodi impedimenta quae matrimonio assignantur, non sunt contra legem naturae, quia non similiter inveniuntur in quolibet statu humani generis; plures enim gradus consanguinitatis inveniuntur esse prohibiti in uno tempore quam in alio; lex autem humana non potest, ut videtur, matrimonio impedimenta praestare; quia matrimonium non est ex institutione humana, sed divina, sicut et alia sacramenta. Ergo matrimonio non debent aliqua impedimenta assignari quae faciunt personas illegitimas ad contrahendum.

5. Praeterea, illegitimum et legitimum differunt per hoc quod est contra legem vel non contra legem, inter quae non cadit medium, cum sint opposita secundum affirmationem et negationem. Ergo non possunt esse aliqua matrimonii impedimenta, quibus personae mediae inter legitimas et illegitimas constituuntur.

6. Praeterea, nullo impedimento potest a re aliqua removeri quod in definitione ejus cadit. Sed indivisibilitas cadit in definitione matrimonii, ut supra, dist. 27, qu. 1, art. 1, quaestione 3. patuit. Ergo non possunt esse aliqua impedimenta quae matrimonium contractum dirimant.

7. Praeterea, conjunctio viri et mulieris non est licita nisi in matrimonio. Sed omnis conjunctio illicita dirimi potest. Ergo si aliquid impediatur matrimonium contrahendum, hoc dirimet contractum de facto; et sic non debent aliqua impedimenta assignari matrimonio quae impediunt contrahendum, et non dirimant contractum.

8. Sed contra, videtur quod debeant esse infinita matrimonii impedimenta. Quia matrimonium quoddam bonum est. Sed infinitis modis est defectus boni, ut dicit Dionysius (4 cap. de divinis nominibus). Ergo infinita sunt impedimenta matrimonii.

9. Praeterea, impedimenta matrimonii accipiuntur secundum conditiones particularium personarum. Sed conditiones hujusmodi sunt infinitae. Ergo et matrimonii impedimenta.

Solutio. Respondeo dicendum, quod in matrimonio sunt quaedam quae sunt de essentia ipsius, et quaedam quae sunt de solemnitate ejus, sicut et in aliis sacramentis. Et quia remotis his quae non sunt de necessitate sacramenti, adhuc manet verum sacramentum; ideo impedimenta quae contrariantur his quae sunt de solemnitate sacramenti, non offiunt quin sit verum matrimonium; et talia dicuntur impedire contrahendum, sed non dirimunt contractum; sicut prohibitio Ecclesiae, et tempus feriatum; unde versus:

Ecclesiae vetitum, necnon tempus feriatum  
Impediunt fieri, permittunt juncta teneri.

Impedimenta autem quae contrariantur his quae sunt de essentia matrimonii, faciunt ut non sit verum matrimonium; et ideo dicuntur non solum impedire matrimonium contrahendum, sed dirimere contractum; quae his versibus continentur:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,  
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,  
Si sis affinis, si forte coire nequibus:  
Haec socianda vetant connubia, facta retractant.

Horum autem numerus hoc modo accipi potest. Potest enim matrimonium impediri aut ex parte contractus matrimonii, aut ex parte contrahentium. Si primo modo; cum contractus matrimonii fiat per voluntarium consensum, qui tollitur per ignorantiam et violentiam, erunt duo impedimenta matrimonii, scilicet *vis*, id est coactio, et *error* ex parte ignorantiae; et ideo de istis duobus impedimentis supra Magister determinavit, ubi agebatur de causa matrimonii. Nunc autem agit de impedimentis quae accipiuntur ex parte personarum contrahentium, quae sic distinguuntur. Potest enim aliquis impediri a matrimonio contrahendo vel simpliciter, vel respectu alicujus personae. Simpliciter, ut eum nulla possit matrimonium contrahere; et hoc non potest esse nisi quia impeditur a matrimoniali actu; quod quidem contingit dupliciter. Primo, quia non potest de facto; sive quia omnino non possit, et sic ponitur impedimentum *impotentia coeundi*; sive quia non libere possit, et sic ponitur impedimentum *conditio servitutis*. Secundo, quia non licite potest; et hoc secundum quod ad continentiam obligatur: quod contingit dupliciter; quia vel obligatur ex officio suscepto, et sic est impedimentum *ordinis*; vel ex voto emisso, et sic impeditur *votum*. Si autem impeditur aliquis a matrimonio non simpliciter, sed respectu alicujus personae: vel propter obligationem ad alteram personam, sicut qui junctus est uni matrimonio, non potest alteri conjungi, et sic est *ligamen*, scilicet matrimonii; vel quia deficit proportio ad alteram personam; et hoc tripliciter. Primo propter nimiam distantiam ad ipsam, et sic est *disparitas cultus*. Secundo propter nimiam propinquitatem; et sic ponitur triplex impedimentum: scilicet *cognatio*, quae importat propinquitatem duarum personarum ratione tertiae matrimonio junctae; et *publicae honestatis justitia*, in qua est propinquitas duarum personarum ratione tertiae personae per sponsalia junctae. Tertio propter indebitam conjunctionem ad ipsam primo factam; et sic impeditur *crimen adulterii* prius cum ipsa commissi.

Ad primum ergo dicendum, quod alia etiam sacramenta impediri possunt, si aliquid quod sit de essentia vel solemnitate sacramenti, subtrahatur, ut dictum est. Sed tamen magis matrimonio quam aliis sacramentis impedimenta assignantur, propter tres rationes. Primo, quia matrimonium consistit in duobus; et ideo pluribus modis potest impediri quam alia sacramenta, quae uni personae competunt singulariter. Secundo, quia matrimonium habet in nobis causam, sed alia quaedam sacramenta solum in Deo; unde et poenitentiae, quae habet causam in nobis aliquo modo, Magister supra, dist. 16, quaedam impedimenta assignavit, ut hypocrisis, ludos, et hujusmodi. Tertio, quia de aliis sacramentis est praeceptum vel consilium, sicut de bonis perfectioribus; sed de matrimonio est indulgentia, sicut de bono mi-

nus perfectio; et ideo, ut detur occasio proficiendi in melius, plura impedimenta assignantur matrimonio quam aliis sacramentis.

Ad secundum dicendum, quod perfectiora pluribus modis impediri possunt, inquantum ad ea plura requiruntur. Si autem sit aliquod imperfectum ad quod plura requiruntur, illud etiam habebit plura impedimenta; et sic est de matrimonio.

Ad tertium dicendum, quod ratio illa procederet, si non essent alia remedia, quibus etiam posset efficacius morbo concupiscentiae subveniri; quod falsum est.

Ad quartum dicendum, quod personae illegitimae ad matrimonium contrahendum dicuntur ex eo quod sunt contra legem qua matrimonium constituitur. Matrimonium autem, inquantum est in officium naturae, statuitur lege naturae; inquantum est sacramentum, statuitur jure divino; inquantum est in officium civitatis, statuitur lege civili; et ideo ex quolibet dictarum legum potest aliqua persona effici ad matrimonium illegitima. Nec est simile de aliis sacramentis, quae sunt sacramenta tantum. Et quia lex naturalis secundum diversos status recipit determinationes diversas, et jus positum etiam variatur secundum diversas hominum conditiones in diversis temporibus; ideo Magister ponit in diversis temporibus diversas personas illegitimas fuisse.

Ad quintum dicendum, quod lex potest aliquid prohibere vel universaliter, vel in parte quantum ad aliquos casus; et ideo inter esse totaliter secundum legem, et esse totaliter contra legem, quae sunt contraria opposita, et non secundum affirmationem et negationem, cadit medium esse aliquammodo secundum legem, et aliquammodo contra legem; et propter hoc ponuntur quaedam personae mediae inter simpliciter legitimas et simpliciter illegitimas.

Ad sextum dicendum, quod impedimenta praedicta non dicuntur interimere matrimonium contractum quasi solventia verum matrimonium, quod rite contractum est; sed quia solvunt matrimonium quod contractum est de facto, et non de jure. Unde si impedimentum aliquod matrimonio rite facto superveniat, matrimonium solvere non valet.

Ad septimum dicendum, quod illa impedimenta quae dirimunt matrimonium contractum, impediunt quandoque matrimonium contrahendum, non ut non (1) fiat, sed ut non licite fiat verum matrimonium; et tamen si fiat, matrimonium verum contractum est, quamvis contrahens peccet; sicut si aliquis consecraret post comestionem, peccaret, contra statutum Ecclesiae faciens; nihilominus verum sacramentum perficeret; quia jejunium consecrantis non est de necessitate sacramenti.

Ad octavum dicendum, quod impedimenta quibus aliquid bonum per accidens impeditur, sunt infinita, sicut et omnes causae per accidens; sed causae corruptentes aliquid bonum per se, sunt determinatae, sicut et causae constituentes; quia causae constructionis et destructionis sunt alienae rei oppositae, vel eadem contrario modo sumptae.

Ad nonum dicendum, quod conditiones particularium personarum in singulari sunt infinitae; sed in generali possunt reduci ad certum numerum; sicut in medicina patet, et in omnibus artibus operativis, quae particularium, in quibus est actus, conditiones considerant.

(1) Al. deest non.



## ARTICULUS II.

*Utrum frigiditas matrimonium contrahendum impediatur.*

Ad secundum sic proceditur. 1. Videtur quod frigiditas matrimonium contrahendum non impediatur. Copula enim carnalis non est de essentia matrimonii; quia perfectiora sunt matrimonia pari voto continentium, ut supra, dist. 26, dictum est. Sed frigiditas nihil tollit de matrimonio nisi carnalem copulam. Ergo non est impedimentum dirimens contractum matrimonium.

2. Praeterea, sicut nimia frigiditas impedit carnalem copulam, ita et nimia caliditas, quae hominem exsiccet. Sed caliditas non ponitur matrimonii impedimentum. Ergo nec frigiditas poni debet.

3. Praeterea, omnes vetuli sunt frigidi. Sed vetuli possunt matrimonium contrahere. Ergo frigiditas non impedit matrimonium.

4. Praeterea, si scit mulier virum esse frigidum, quando cum eo contrahit, verum est matrimonium. Ergo frigiditas, quantum est de se, matrimonium non impedit.

5. Praeterea, contingit in aliquo esse siccitatem sufficienter moventem ad carnalem copulam cum aliqua corrupta, non autem cum aliqua virgine; quia cito calidum evaporat ratione suae debilitatis, ut ad corruptendum virginem non sufficiat. Et similiter in aliquo est sufficiens caliditas movens ad pulehram, quae magis concupiscentiam inflamat, quae non sufficienter movet ad turpem. Ergo videtur quod frigiditas etsi impediatur respectu unius, non tamen simpliciter.

6. Praeterea, mulier universaliter est frigidiore viro. Sed mulieres non impediuntur a matrimonio. Ergo nec viri frigidi.

Sed contra est quod dicitur extra, de frigidis et maleficiis (cap. *Quod sedem*): *Sicut puer, qui non potest reddere debitum, non est aptus conjugio; sic qui impotentes sunt, minime apti ad contrahenda matrimonia reputantur.* Tales autem sunt frigidi. Ergo etc.

Praeterea, nullus potest se obligare ad impossibile. Sed in matrimonio homo se obligat ad carnalem copulam, quia ad hoc dat alteri sui corporis potestatem. Ergo frigidus, qui non potest carnaliter copulari, non potest matrimonium contrahere.

Solutio. Respondeo dicendum, quod in matrimonio est contractus quidam, quo unus alteri obligatur ad debitum carnale solvendum; unde sicut in aliis contractibus non est conveniens obligatio si aliquis se obliget ad hoc quod non potest dare vel facere; ita non est conveniens matrimonii contractus, si fiat ab aliquo qui debitum carnale solvere non possit; et hoc impedimentum vocatur impotentia eorum nomine generali, quae quidem potest esse vel ex causa intrinseca et naturali, vel ex causa extrinseca accidentali, sicut per maleficium, de qua post dicetur. Si autem sit ex causa naturali, hoc potest esse dupliciter; quia vel est temporalis, cui potest subveniri beneficio medicinae, vel processu aetatis; et tunc non solvit matrimonium; vel est perpetua, et tunc solvit matrimonium; ita quod ille ex cuius parte allegatur impedimentum, perpetuo maneat absque spe conjugii, alius nubat eui vult in Domino. Ad hoc autem cognoscendum, utrum sit impedimentum

perpetuum vel non perpetuum, Ecclesia tempus determinatum adhibuit, in quo huius rei posset esse experimentum, scilicet triennium; ita quod si post triennium, in quo fideliter ex utraque parte dederunt operam carnali copulae implendae, invenitur matrimonium non esse consummatum, iudicio Ecclesiae dissolvitur. Tamen in hoc Ecclesia quandoque errat; quia per triennium quandoque non sufficienter potest experiri perpetuitas impotentiae. Unde si Ecclesia se deceptam inveniat per hoc quod ille in quo erat impedimentum, invenitur carnalem copulam cum eadem vel alia perfecisse, reintegrat praecedens matrimonium, et dirimit secundum, quamvis de ejus licentia sit factum.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis actus carnalis copulae non sit de essentia matrimonii, tamen potentia ad hoc est de essentia ejus; quia per matrimonium datur utrique conjugum potestas in corpore alterius respectu carnalis copulae.

Ad secundum dicendum, quod caliditas superflua vix potest esse impedimentum perpetuum. Si tamen inveniretur quod per triennium impediret carnalem copulam, iudicaretur perpetuum. Tamen quia frigiditas magis et frequentius impedit (tollit enim non solum commixtionem seminum, sed etiam rigorem membrorum, quo fit conjunctio corporum); ideo frigiditas magis hic ponitur impedimentum quam caliditas, cum omnis defectus naturalis ad frigiditatem reducatur.

Ad tertium dicendum, quod vetuli quamvis quandoque non habeant caliditatem sufficientem ad generandum, tamen habent caliditatem sufficientem ad carnalem copulam; et ideo conceditur eis matrimonium, secundum quod est in remedium; quamvis non competat eis secundum quod est in officium naturae.

Ad quartum dicendum, quod in quolibet contractu hoc universaliter tenetur, quod ille qui est impotens ad solvendum aliquid, non reputatur idoneus ad contractum illum quo se obligat ad ejus solutionem. Tamen impotens potest esse tripliciter. Uno modo, quia non potest solvere de jure; et sic talis impotentia omnibus modis facit contractum esse nullum, sive sciat ille cum quo facit talem (1) contractum hanc impotentiam, sive non. Alio modo quia non sit solvendo de facto; et tunc (2) si sciat ille cum quo contrahit, hanc impotentiam, et nihilominus contrahit, ostenditur quod alium finem ex contractu quaerit, et ideo contractus stat; si autem nescit, tunc contractus nullus est. Et ideo frigiditas, quae causat talem impotentiam ut homo non possit de facto solvere debitum, et conditio servitutis per quam homo non potest de facto libere reddere; impediunt matrimonium, quando alter conjugum ignorat hoc quod alius non potest reddere debitum. Impedimentum autem per quod alius non potest de jure reddere debitum, ut consanguinitas, annullat contractum matrimonium, sive sciat alter, sive non; et propter hoc Magister ponit quod haec duo faciunt personas omnino (3) illegitimas.

Ad quintum dicendum, quod non potest esse perpetuum impedimentum naturale in viro respe-

(1) *Al.* talis.

(2) *Al.* tamen.

(3) *Al.* non omnino.

ctu unius personae et non respectu alterius; sed si non possit implere carnalem actum cum virgine, et possit cum corrupta, tunc medicinaliter aliquo instrumento posset claustra pudoris frangere, et ei coniungi. Nec esset hoc contra matrimonium; quia non fieret ad delectationem, sed ad medicamentum. Abominatio autem mulieris non est causa naturalis, sed accidentaliter extrinseca; et ideo de ea idem est iudicium quod de maleficio, de quo post dicetur.

Ad sextum dicendum, quod mas est agens in generatione, sed femina est patiens; et ideo major caliditas requiritur in viro ad opus generationis quam in muliere; unde frigiditas, quae facit virum impotentem, non faceret mulierem impotentem. Sed in muliere potest esse impedimentum naturale ex causa alia, scilicet arctatione; et tunc idem est iudicium de arctatione mulieris, et de frigiditate viri.

## ARTICULUS III.

*Utrum maleficium possit matrimonium impedire.*

Ad tertium sic proceditur. 1. Videtur quod maleficium non possit matrimonium impedire. Huiusmodi enim maleficia fiunt operatione daemonum. Sed daemones non habent potestatem impediendi matrimonii actum magis quam alios corporales actus, quos impedire non possunt; quia sic totum mundum perverterent; si comestionem et gressum (1) et alia huiusmodi impedirent. Ergo per maleficia non potest impediri matrimonium.

2. Praeterea, opus Dei est fortius quam opus diaboli. Sed maleficium est opus diaboli. Ergo non potest impedire matrimonium, quod est opus Dei.

3. Praeterea, nullum impedimentum dirimit contractum matrimonii, nisi sit perpetuum. Sed maleficium non potest esse impedimentum perpetuum; quia cum diabolo non habeat potestatem nisi super peccatores, expulso peccato tollitur maleficium; vel etiam per aliud maleficium, vel per exorcismos Ecclesiae, qui sunt ordinati ad reprimendam vim daemonum. Ergo maleficium non potest impedire matrimonium.

4. Praeterea, carnalis copula non potest impediri nisi impediatur potentia generandi, quae est principium ejus. Sed unius viri potentia generativa se habet ad omnes mulieres aequaliter. Ergo per maleficium non potest esse impedimentum respectu unius viri, nisi sit respectu omnium.

Sed contra est quod dicitur in Decret. 55, qu. 1 (cap. 4): *Si (2) per sortituras vel maleficia; et infra: Si sanari non poterint, separari valebunt.*

Praeterea, potestas daemonis est major quam hominis. Job 40, 24: *Non est potestas super terram quae comparetur ei.* Sed opere humano potest aliquis vir fieri impotens ad carnalem copulam per aliquam potestatem, vel castrum; et ex hoc matrimonium impediri. Ergo multo fortius hoc virtute daemonis fieri potest.

Solutio. Respondeo dicendum, quod quidam dixerunt, quod maleficium nihil erat in mundo, nisi

(1) *Al.* et egressum.

(2) Nicolaus: *Si per sortituras vel maleficia, occulto, sed nunquam injuria Dei iudicio permittente, et diabolo praeparante, concubitus non sequitur; hortandi sunt quibus ista eveniunt, ut puram confessionem faciant etc.*

in aestimatione hominum, qui effectus naturales, quorum causae sunt occultae, maleficiis imputabant. Sed hoc est contra auctoritates sanctorum, qui dicunt, quod daemones habent potestatem supra corpora, et supra imaginationem hominum, quando a Deo permittuntur; unde per eos malefici signa aliqua facere possunt. Procedit autem haec opinio ex radice infidelitatis, sive incredulitatis, quia non credunt esse daemones nisi in aestimatione vulgi tantum, ut terrores quos homo sibi ipsi facit ex sua aestimatione, imputet daemones; et quia etiam ex imaginatione vehementi aliqua figurae apparent in sensu tales quales homo cogitat, et tunc creduntur daemones videri. Sed haec vera fides repudiat, per quam Angelos de caelo cecidisse, et daemones esse credimus, et ex subtilitate suae naturae multa posse quae nos non possumus; et ideo illi qui eos ad talia facienda inducunt, malefici vocantur.

Et ideo dixerunt alii, quod per maleficia praestari potest impedimentum carnali copulae; sed nullum tale est perpetuum: unde non dirimit matrimonium contractum; et dicunt, jura quae hoc dicebant, esse revocata. Sed hoc est contra experimentum, et contra nova jura, quae antiquis concordant.

Et ideo distinguendum est: quia impotentia eorum ex maleficio aut est perpetua, et tunc matrimonium dirimit; aut non est perpetua, et tunc non dirimit. Et ad hoc experiendum eodem modo Ecclesia tempus praefixit, triennium scilicet, sicut de frigiditate dictum est. Tamen haec est differentia inter maleficium et frigiditatem: quia qui est impotens ex frigiditate, sicut est impotens ad unam, ita ad aliam; et ideo quando matrimonium dirimitur, non datur ei licentia ut alteri conjugatur; sed ex maleficio homo potest esse impotens ad unam, et non ad aliam; et ideo quando iudicio Ecclesiae matrimonium dirimitur, utrique datur licentia quod alteram copulam quaerat.

Ad primum ergo dicendum, quod quia corruptio peccati prima, per quam homo servus est factus diaboli, in nos per actum generantem devenit, ideo malefici potestas permittitur diabolo a Deo in hoc actu magis quam in aliis; sicut in serpentibus magis ostenditur virtus maleficiorum, ut dicitur, quam in aliis animalibus, quia per serpentem diabolus mulierem tentavit.

Ad secundum dicendum, quod opus Dei potest opere diaboli impediri divina permissione; non quod diabolus Deo sit fortior, ut per violentiam opera ejus destruat.

Ad tertium dicendum, quod maleficium est ita perpetuum quod non potest habere remedium humano opere; quamvis Deus posset remedium praestare daemones cogendo, vel etiam daemones desistendo. Non enim oportet semper ut id quod per maleficium factum est, possit per maleficium aliud destrui, ut ipsi malefici confitentur: et tamen si possit per maleficium remedium adhiberi, nihilominus perpetuum reputatur: quia nullo modo debet aliquis daemones auxilium per maleficia invocare. Similiter non oportet quod si propter peccatum aliquod data est diabolo potestas in aliquem, cessante peccato cesset potestas; quia poena interdictum remanet culpa transeunte. Similiter etiam exorcismi Ecclesiae non valent ad reprimendum daemones semper quantum ad omnes molestias corporales, iudicio divino hoc exigente; semper tamen



valent contra illas infestationes daemonum contra quas principaliter instituta sunt.

Ad quartum dicendum, quod maleficium quandoque potest praestare impedimentum ad omnes, quandoque ad unam tantum: quia diabolus voluntaria causa est, non ex necessitate naturae agens. Et praeterea impedimentum maleficium potest esse ex impressione daemonis in imaginatione hominis, ex qua tollitur viro concupiscentia movens ad talem mulierem, et non ad aliam.

## ARTICULUS IV.

*Utrum furia impediatur matrimonium.*

Ad quartum sic proceditur. 1. Videtur quod furia non impediatur matrimonium. Matrimonium enim spirituale, quod in baptismo contrahitur, est dignius quam carnale. Sed furiosi possunt baptizari. Ergo et matrimonium contrahere.

2. Praeterea, frigiditas impedit matrimonium, in quantum impedit carnalem copulam (1), quae non impeditur per furiam. Ergo nec matrimonium.

3. Praeterea, matrimonium non dirimitur nisi per aliquod impedimentum perpetuum. Sed de furia non potest sciri quod sit impedimentum perpetuum. Ergo non dirimit matrimonium.

4. Praeterea, in versibus praedictis sufficienter continentur impedimenta dirimentia matrimonium. Sed ibi non fit mentio de furia. Ergo etc.

Sed contra, plus tollit rationis usum furia quam error. Sed error impedit matrimonium. Ergo et furia.

Praeterea, furiosi non sunt idonei ad aliquem contractum faciendum. Sed matrimonium est contractus quidam. Ergo etc.

Solutio. Respondeo dicendum, quod furia aut praecedat matrimonium, aut sequitur. Si sequitur, nullo modo dirimit matrimonium. Si autem praecedat; aut furiosus habet lucida intervalla, aut non. Si habet, tunc quamvis dum est in illo intervallo non sit tutum quod matrimonium contrahat, quia nescit prolem educare; tamen si contrahit, matrimonium est. Si autem non habet, vel si quando non habet, contrahit; tunc quia non potest esse consensus ubi deest rationis usus, non erit verum matrimonium.

Ad primum ergo dicendum, quod usus rationis non exigitur ad baptismum quasi causa ipsius, sicut exigitur ad matrimonium; et ideo non est similis ratio. Tamen de baptismo furiosorum supra, distinct. 6, dictum est.

Ad secundum dicendum, quod furia impedit matrimonium ratione causae suae, quae est consensus, quamvis non ratione actus, ut frigiditas. Sed tamen simul cum frigiditate Magister determinat, quia utrumque est quidam naturae defectus.

Ad tertium dicendum, quod momentaneum impedimentum, quod causam matrimonii, scilicet consensum, impedit, matrimonium totaliter tollit. Sed impedimentum quod impedit actum, oportet esse perpetuum ad hoc quod matrimonium tollat.

Ad quartum dicendum, quod hoc impedimentum reducit ad errorem: quia utrobique defectus consensus ex parte rationis est.

(1) Nicola: sed carnalis copula non impeditur.

## ARTICULUS V.

*Utrum incestus quo quis cognoscit sororem uxoris suae, matrimonium dirimat.*

Ad quintum sic proceditur. 1. Videtur quod incestus quo quis cognoscit sororem uxoris suae, matrimonium non dirimat. Quia mulier non debet puniri pro peccato viri. Sed puniretur, si matrimonium solveretur. Ergo etc.

2. Praeterea, plus peccat qui propriam consanguineam cognoscit, quam qui cognoscit consanguineam uxoris. Sed primum peccatum non impedit matrimonium. Ergo nec secundum.

3. Praeterea, si in poemam peccati hoc infligitur, videtur, etiam si mortua uxore cum alia contrahat incestuosus, quod separari debeant; quod non est verum.

4. Praeterea, hoc etiam impedimentum non connumeratur inter alia supra enumerata. Ergo non dirimit contractum matrimonium.

Sed contra, quia per hoc quod cognoscit sororem uxoris, contrahitur affinitas ad uxorem. Sed affinitas dirimit matrimonium contractum. Ergo et incestus praedictus.

Praeterea, in quo quis peccat, in hoc punitur. Sed talis peccat contra matrimonium. Ergo debet puniri, ut matrimonio privetur.

Solutio. Respondeo dicendum, quod si aliquis cognoscit sororem aut aliam consanguineam uxoris suae ante matrimonium contractum, etiam post sponsalia, oportet matrimonium separari ratione affinitatis contractae. Si autem post matrimonium contractum et consummatum, non debet totaliter separari matrimonium; sed vir amittit jus petendi debitum, nec potest petere sine peccato; sed tamen debet reddere petenti, quia uxorem non debet puniri de peccato viri. Sed post mortem uxoris debet omnino manere absque spe conjugii, nisi cum eo dispensetur propter fragilitatem suam, cui timetur do illicito coitu. Si tamen praeter dispensationem contrahat, peccat contra statutum Ecclesiae faciens; non tamen propter hoc matrimonium separandum est.

Et per hoc patet solutio ad objecta: quia incestus ponitur matrimonii impedimentum non tam ratione culpa, quam ratione affinitatis quam causat; et ideo etiam non connumeratur aliis impedimentis, sed in impedimento affinitatis includitur.

## Expositio textus.

*Maneant uterque innupti.* Hoc intelligitur quando ex utroque impedimento allegatur: alias ille tantum innuptus manere debet ex cuius parte impedimentum proponitur.

*Quod si mulier causetur, et dicat: Volo esse mater, et filios procreare etc.* Videtur ex hoc quod ratione sterilitatis matrimonium solvi possit. — Et dicendum, quod non: quia in sterilibus etsi matrimonium non habeat intentum suum, secundum quod est in officium naturae, habet tamen secundum quod est in remedium per carnalem copulam; unde ponitur hic procreatio filiorum pro carnali copula, quam mulieres verecundantur expetere.

*Septima manu propinquorum juret quod nunquam carnaliter convenerint.* Divortium hoc modo fieri debet. Cum impotentia coeundi allegatur, si

uterque confiteatur, scilicet vir et uxor; vel (1) si est evidens impedimentum, ut in eunuchis, possunt statim separari. Si autem non est evidens, praecipuum est eis ut adhuc cohabitent bona fide carnali copulae operam dantes. Quod si usque ad triennium fieri nequit, tunc jurabit uterque quod bona fide operam dantes, carnaliter conjugii non poterunt; et ut divortium non de facili celebretur, requiritur quod septem de propinquis, qui melius de hoc possunt per signa probabilia scire veritatem, jurent quod credant eos verum dixisse.

*Perjuri crimine (2) rei teneantur;* id est, eorum testimonium ita pro nihilo computatur ac si perjuri essent; non tamen culpam aut (3) infamiam perjuri incurrunt, si eos verum dicere credebant.

*Sed si vir asserit se debitum reddidisse uxori, et illa distetur, cui potius fides habenda sit merito quaeritur.* Item sciendum, quod quando vir asserit copulam carnalem praecessisse, mulier negat; standum est juramento viri, nisi per aspectum corporis sui mulier probare velit virum esse mentitum. Si tamen vir falsum jurat, et uxor contrarium non possit probare, potest sibi providere de seorsum

(1) M. deest vel.

(2) A. Perjuri enim crimine etc.

(3) A. ante.

## DISTINCTIO XXXV.

*Eodem jure utitur vir et mulier.*

Hoc etiam notandum est, quod cum Dominus concedat viro uxorem dimitti causa fornicationis, eadem licentia non tollitur feminis. Unde Hieronymus (epist. 50 ad Oceanum, seu in epist. Fabiolae): « Praecipit Dominus uxorem non dimitti, excepta causa fornicationis; et si dimissa fuerit, manere inuaptam. Quidquid viris praecipitur, hoc consequenter redundat ad feminas. Non enim adultera uxor dimittenda est, et vir moechas tenendus. » Item (ibid.): « A pud nos quod non licet feminis, aequo non licet viris; et eandem servitus pari conditione censetur. » Ex his ostenditur quod mulier potest super fornicatione virum convenire, ut vir mulierem. Unde Innocentius Papa (1): « Christiana religio adulterium in utroque sexu pari ratione condemnat; sed viros suos mulieres non facile adulterio accusant; viri autem liberius uxores suas adulteras apud sacerdotes de ferre consueverunt; et ideo mulieribus profecto earum criminis negatur communitio; virorum autem latente commissio, non facile quisquam ex suspitionibus aretur; qui tamen submoverebitur, si ejus flagitium detegatur. »

*Quod fornicarian nequit dimittere vir, nisi ipse (2) expers fuerit, et e converso.*

Si vero quaeritur, an adulter adulteram possit dimittere causa fornicationis, dicitur, quia nequit adultera uxor dimitti a viro, nisi et ipse expers fornicationis existat, et e converso. Unde Augustinus (lib. 1 de serm. Domini in monte, cap. 28): « Nihil iniquius est quam causa fornicationis dimittere uxorem, si et ipse convinctur fornicari. Occurrit enim illud (Rom. 2, 1): In quo alterum iudicas, teipsum condemnas. Quia propter quisquis fornicationis causa vult abjicere uxorem, prius debet esse a fornicatione purgatus, quod similiter et de femina dixerim. » Item (3): « Indignantur mariti, si audiant adulteros viros pendere similes adulteris feminis

(1) Epist. 5, cap. 4 (Ez edit. P. Nicolai).

(2) Addit Nicolai fornicationis.

(3) Lib. de adulterinis conjugis, cap. 8 (Ez edit. P. Nicolai).

jacendo, ne ex impetitione viri ad libidinem provocetur, et periculum incontinentiae imminet. Si autem vir neget carnalem copulam praecessisse, non est standum juramento ejus, quamvis si caput mulieris, si mulier affirmet: quia sic daretur facultas multis viris dimittendi uxores suas.

*Quod in fine hujus capituli continetur, ex rigore magis dictum intelligendum est quam ex canonica aequitate.* Sciendum est, quod si maleficium fuerit generaliter respectu cuiuslibet faciens impotentiam coeundi, tunc si alteri nupserit, ostenditur impedimentum non fuisse perpetuum; unde debet ad prius conjugium redire. Si autem fuerit personale, id est respectu specialis personae, cum utrique detur licentia alteri nubendi; non potest reddita potentia nubendi ad pristinum matrimonium redire, quia nullum fuit, et secundum est verum matrimonium.

*Sed si contractum fuerit, non separantur.* Hoc intelligitur, si fuit contractum quando habebant lucida intervalla.

*Nec propriae uxori licet sibi reddere debitum.* Hoc non tenetur modo. Vel dicendum, quod reddere debitum vocat universaliter carnalem copulam, quia privatus est quantum est ex parte sua, quamvis uxori suum jus remaneat. Quamvis enim matrimonium non claudicat, tamen jus petendi debitum potest esse in uno, et non in alio.

« poenas, cum tanto gravius eos puniri oportuerit quanto magis ad eos pertinet et virtute vincere, et exemplo regere feminas. » Ex his apparet quod adulter alteram dimittere non valet, et e converso.

*Quod possunt reconciliari qui separantur causa fornicationis.*

Si quis autem fornicationis expers fornicariam dimiserit, alii copulari non potest, sed continere oportet, vel ad dimissam redire: sic et de femina. Unde et Apostolus (1 Corinth. 7, 10): « His qui matrimonio juncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere: quod si discesserit, maneat inuapta, aut viro suo reconcilietur; » et de viro addit: « Et vir uxorem non discedat. » Sed Ambrosius (Ambrosiaster super eundem locum) ait: « Ideo non subdit de viro sicut de muliere, licet (1) viro aliam ducere. » Sed hoc a falsariis in Ambrosii libro positum creditur. Supplementum enim esse in viro, quod ibi de uxore praemisit, aperte dicit Augustinus sic (de sermone Domini in monte, lib. 1, cap. 25, vel 14): « Quare non addit de muliere quod praemisit de viro, nisi quod similem formam vult intelligi, ut si dimiserit, quod causa fornicationis permittitur, maneat sine uxore, aut reconcilietur uxori? » Item (paulo post): « Si nec nubere illi conceditur vivo viro a quo recessit, nec huic alteram ducere viva uxore quam dimisit; multo minus fas est illicitum cum quibuslibet supra committere. » Item (ibid. paulo supra): « Ut non facile dimitatur uxor, Dominus solam fornicationis causam excepit; ceteras vero unius versas molestias, si quae extiterint, jubet pro fide conjugii et pro castitate fortiter sustineri; et moechum dixit qui a viro solutum duxit. » Ex his ostenditur quod si causa fornicationis sit separatio, non potest vir vel mulier in aliam transire copulam. Possunt autem reconciliari, et cohabitare sicut prius, si dimissum alter revocare voluerit.

(1) Nicolai: ideo non etiam subdit de viro sicut de muliere, quod sic maneat, si discesserit, quia licet etc.